

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Illvstrivm Virorum Epistolae, Hebraicae, Graecae et
Latinae, Ad Ioannem Reuchlin Phorcensem virum nostra
aetate doctissimum diuersis temporibus missae**

Reuchlin, Johannes

Hagenoae, 1519

Erasmvs Ioanno Capnioni svu S. D.

[urn:nbn:de:bsz:31-270838](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-270838)

EPIST. ILLVST. VIRORVM AD

Picum accesserit, alium extare neminem credā. Vellem Erasme sciscitareris ab eo per literas, si forte illū nō conueneris, unde accepit genealogiam illam sacrosanctæ uirginis Mariae, quā uocabulario suo Hebraico apposuit. Vehementer enim scire cupio unde habeat ea res auctoritatem, simulq; quo nam modo fieri possit, ut cum iuxta Philonis breuiarium, Solomonis linea penitus intercisa fuerit, ipsa nihilominus ex Solomone illic descēdisse tradat. Coneris Erasme ut meus Reuchlin dignetur me de his duobus certiorē facere. Rursum in fine. Vale optime Erasme, & me ipsi Reuchlin commendatissimum facias, quem haud dubie uisirem ipse, si non his sacris uestibus essem indutus. Hæc mi Reuchlin uir ille clarissimus suapte manu ad me scripsit, quæ ad uerbum ad te transcripsi, ut ex his intelligas quanti te faciat. Dign⁹ est cui morem gerat humanitas tua, uel ob hoc ipsum, quod te tam ardentē amat. Nos hoc in procinctu scripsimus & quidem occupatissimi. Nam Romam auolamus. Quod attinet ad editionem operū Hieronymi, tantum abest ut uel pilum tuorum laborum aut gloriæ mihi uelim uindicare, ut citius aliquid de meo in te transfuderim. Cum eum laborem susceperem, ignorabam te in eodem uersari. Quantū non agimus idem. De Hebraicis literis nihil arrogā mihi, quas primoribus duntaxat gustauī labris. In Summa dabitur sua cuiq; laus, idq; candidissime. Bene Vale. & Erasmus in eorum adscribito numerum, qui tuo nomini uere & ex animo faueat. K A L. Martiis.

ERASMVS IOANNI CAPNIONI
SVO S. D.

CVM, agerem apud Britannos, redditæ sunt mihi tuæ literæ una cum absolute Episcopi Spirensis, communicauī cum doctis aliquod amicis, quorū nullus est quin & suspiciat ingenium tuum tam foelix tanq; fecundum. Riserūt, & a me damnatum illum libellum uehementer efflagitarunt, uel hinc cōiectantes rem esse præclarā, quod talibus displicuisset. In primis autem Episcopus Roffensis uir singulari morum integritate, ac Theologus absolutissimus. Deinde Ioannes Coletus, Decan⁹ sãcti

IO. REVCH. LIBER SECVND.

Pauli, apud Londinum. Me tamé nonnullus adhuc habebat scrupulus, ne quid scripsisses incautius, quod uiderem Episcopi sententiam subtimide scriptá esse, ac pene meticulosam quod adderet hæresim apertam, & accedente tractatu, donec Moguntiaë nact⁹ ipsum libellum, articulos illos hæreticos, irreueréntiales & impios legissem, iam risum tenere nõ potui, posteaq̃ autem damnationem illá, bone Deus, q̃ belle compositá legissem, absolui te, eaq; mihi Apologiae uice fuit, maioremq; in modum optabam, ut ea in eruditorum omnium manibus esset. At simul atq; legissem & Apologeticum tuum, tanta alacritate, tanta fiducia, tãto eloquiã fulmine, tanto acumine, tam multiiuga eruditionis ubertate conscriptum, iam mihi uidebar, non audire reum pro se dicenté, sed uictorem de subactis hostibus triumphum agentem. Vnum illud desyderabam mi CapNion, loquar enim simpliciter & amice, malebam te in locos illos communes parcius digredi aut certe minus immorari, ad hæc, magis temperasse a manifestis cõuitiis. Verum illud si uitium est, uitium est hominis eruditione ac literis superfluentis, hic difficile est alieno dolori modum præscribere. Rem facies eruditis omnibus gratissimam, si curaris illum libellum in Angliam transmittendum, uel ad Ioannem Episcopũ Roffensem, uel ad Coletum Decanum. S. Pauli. Ipse quoq; si potero mittam meũ, tametsi unicum mihi. . Scripsimus annotationes in **NOVVM TESTAMENTVM** uniuersum. Itaq; est animus excudendum curare nouum Testamentum græcum, adiectis nostris annotamentis. Aiunt tibi exemplar esse emendatissimum, cuius copiam si feceris Ioanni Frobenio, gratam facies non solum mihi atq; illi, uerum etiam studiosis omnibus. **Co**dex integer & incontaminatus ad te redibit. Vale & rescribe. Ad literas quas in Anglia accepi respondi, an redditæ sint nescio. Tuas literas expectabo. Rursum uale, totius Germaniæ uere unicũ decus & ornamentum incomparabile. Magnopere cupiebam te cum coram colloqui, uerum ut uideo non licebit. Nam ad Idus Septembres hinc in Italiam pergo, nisi si quid extiterit interea noui. Iterum atq; iterum Vale. .